

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Jakob Carpov


**M. Iacobi Carpovii III. Gymnasii Vinariensis Directoris Math. P. P. ... Meditatio De
Vestiti Christi Redivivi Hoc Est Von der Kleidung Christi nach seiner
Auferstehung**

Vinariae: Apvd Sigismvnd. Henric. Hoffmannvm, 1755

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1853511471>

Druck Freier  Zugang





20 p

52 - 7.

F.C - 1431.

52. 7.

10

M. IACOBI CARPOVII

ILL. GYMNASII VINARIENSIS DIRECTORIS MATH. P. P.

REGIAE BORVSSICAE ACADEMIAE SCIENTIARVM

ET LITTERARVM ELEGANTIORVM

MEMBRI



MEDITATIO

DE

VESTITV CHRISTI REDIVIVI

HOC EST

Bon der Kleidung Christi
nach seiner Auferstehung.



VINARIAE,

APVD SIGISMVND. HENRIC. HOFFMANNVM,

M D C C L V.

z

三〇

卷之五





LECTORI CHRISTIANO

S.

I.



um sacra Scriptura cognitionis Christi, quam Scriptura sa-
diuus Paulus omnibus præfert reliquis Phil. ^{cra} III. 8, radix et fons sit, eadem et naturam ^{nem facit ve-}
Christi duplēcē, et officium triplex, et sta-^{ftimentorum}
tum gloriæ pariter ac humilitatis, tanquam
diuersos Christognosias ramos aut riuos, expli-
cat. Sed non perstans in iis, quæ ad salutem
nobis cognitu necessaria, identidem illa eorum
quoque mentionem facit, quæ, licet remotiora
a salute, menti tamen sciendi cupidæ satis faciunt, eamque oblectant.
In quorum censum si vestimenta Iesu, Seruatoris meritissimi, referam,
haudquaquam a veritate alienum me esse, arbitror.

A 2

II.

II.

neque tantum
verorum,

Vestimentorum Christi Scriptura tam veteris, quam noui foederis mentionem facit, neque eorum tantum, quae vere gessit, sed etiam illorum, quibus in visionibus ornatus adparuit. Ut breuiter priorum mentionem faciam, Iacobus vates: *Is* (Schilo, i. e. Iesus), inquit Gen. XLIX. 11, *laubit vino vestem suam, et pallium suum sanguine vuarum*, largam effusionem sanguinis Christi in uestes eius, tempore passionis magnæ futuram, indicans (Theol. Reu. T. III. § 340.). Deinde Dauides non tantum diuisionem uestium Christi inter carnifices prædictis Ps. XXII. 19, sed Messiam, ecclesiæ sponsum, describit etiam a uestimentis Ps. XLV. 9: *Myrræ et santalis (aloe) casiaque omnia uestimenta tua*; quasi diceret: oleo lætitia Deus te præ sociis tuis vnxit tam largiter v. 8, vt balsama, myrræ, aloe atque casia, in omnia uestimenta tua a capite defluxerint, eamque ob causam hæc tam suauem spargant odorem, vt ipsa mera ballama esse videantur. Similiter elegans colloquium Christi cum ecclesia de uestibus ipsius exhibet Iesaias c. LXIII. 1. sqq. dum ecclesia quærit: *quis hic veniens ex Edom Bozra, madefactus uestibus, iste decorus ueste sua, peregre agens amplitudine virium suarum?* Messias autem respondet: *ego, qui loquor insti, sufficiens ad scrupandum.* Cumque iterum interrogaret ecclesia: *quare rubidus es uestibus tuis, et uestimenta tua ut calcantis in torcularis lacu?* respondebat iterum Messias: *torcular calcaui solus, nam ex populis nullus vir (potuit certare) mecum; sed calcaui eos ira mea, et conculcaui eos excandescientia mea: ita inspersus est (sanguis) cuiusque robustissimi illorum uestimentis meis, et omnes uestes meas contaminavi.* Quod totum colloquium ad passionem Seruatoris, quem vates modo sub calcantis torcular, modo sub victoris imagine exhibet, quorum ille vuarum rubro suco, hic hostium sanguine in uestibus maculatur, se refert. Sed Scriptura noui foederis etiam vestimentorum Christi, ne de fasciis, sine dubio tritis vilibusque, quibus infans est inuolutus, dicam Luc. II. 7. 12, mentionem fecit triplici occasione, quarum prima est mulier, quæ in menstruis erat continuis, altera gloria Christi in monte, extrema passio. Mulier, continuo profluvio sanguinis loco menstrui laborans, morbum suum palam profiteri ex verecundia sexus dubitans,

tanta

tanta fidei virtute praedita erat, ut ex contactu fimbrie vestimenti Christi sanatum sentiri, crederet, euentu fidei ipsius respondentem Matth. IX. 20-22. Marc. V. 25-34. Luc. VIII. 43-48. In monte cum Christus gloria perfunderetur, splendore corporis vestimenta iphius penetrante, vestimenta illius siebant candida, vix lux Matth. XVII. 2, et sicut nix adeo, ut nullus fullo in terra sic dealbare queat Marc. IX. 3, et fulguri similia Luc. IX. 29. Sed his vestimentis, quæ testes quasi gloriae Christi fuerant, flagellandus is nudabatur Matth. XXVII. 28, et in locum supplicii ducendus, dentio inducebatur Matth. XXVII. 31. Marc. XV. 20, ut facilius a populo nosceretur; eademque tandem, post Christum in crucem sublatum, militibus carnificibus in cruenti laboris præmium cedebant, ita tamen, ut in tunicam interiorem insutilem, a pia forsitan muliere vel ipsa matre olim Christo dono datam, sors proiceretur Matth. XXVII. 35. Marc. XV. 24. Luc. XXIII. 34¹. Ioh. XIX. 23. 24, idque secundum vaticinium Davidis Ps. XXII. 19. Denique ne commemorem vestes alienas, Christo in ludibrium impositas, modo albam vel splendidam Luc. XXIII. 11, modo coccineam vel purpuream Matth. XXVII. 28. 31. Marc. XV. 17. 20. Ioh. XIX. 2. 5, Scriptura etiam mentionem facit linteorum pretiosorum, quibus corpus eius mortuum, et vittæ, cui caput inuoluebatur, confuetudine Iudeorum ita ferente Matth. XXVII. 59. Marc. XV. 46. Luc. XXIII. 53. XXIV. 12. Ioh. XIX. 40. XX. 5. 6. 7. Enim vero litteræ sacræ non sed eorum et tantum vestes Christi veras, sed eas etiam, quibus in visionibus ornati, quibus tuts adparuit, commemorant. Iohannes Iesum videbat εν νεψιτι apparuit in visione.

indutum ueste prolixa ad maiestatem indicandam, et cinctum more orientalium circa mammas cingulo aureo Apoc. I. 13, et alio tempore indutum ueste tincta sanguine Apoc. XIX. 13, ad recordationem passionis eius cruenta; quemadmodum eandem sanguinis in uestes Christi adspersionem prædixerant Iacobus Gen. XLIX. 11, et Iesaias c. LXIII. 1. seqq. Pertinent hoc etiam adparitiones vel visiones quædam veteris feederis. Nam vir ille, indutus ueste lini tenuissimi, qualis erat pontificis maximi Leu. VI. 3. XVI. 4. 23, et atramentario instructus, ad fidos Dei adsecclas signo notandas, ut ab internectione securi essent, Ez. IX. 2. seqq. sine dubio est Christus, sacerdos summus, sanguine suo notans fideles, ne in perditionis societatem cum incredu-

incredulis veniant. Pariter *vir, veste linea et Zona aurea ornatus* Dan. X. 5. seqq. XII. 6. 7. est Christus; quemadmodum ex prædicatis et simili Christi forma Apoc. I. 13. seqq. docent interpretes. Quo minus autem hoc referam visionem Iesaiæ c. VI. 1. obstat, quod Iehuam Trinum vati ibidem adparuisse, arbitrari (Theol. Rev. T. III. §. 711. Schol.).

III.

*Institutum
auctoris.*

Quamvis autem Scriptura vestimentorum, quæ Christus in terra gessit, modo per modum vaticiniorum aut visionum, modo per relationem historicam mentionem faciat, de vestibus tamen Christi, ex morte resuscitati, et passim ad seclis suis adparentis, filet. Vnde mirari non conuenit, interpretes Scripturæ etiam plerumque hoc argumentum prætermittere, lectoresque dubios, quid de illis sentiendum aut statuendum sit? relinquere. Cum præstet autem, in hac quoque, licet minus ad salutem necessaria, doctrina animum non suspensum gerere, æquor intentatum experturus, in præsentia de vestibus Iesu rediuii disputabo.

IV.

*Qui corpus
gerit spiri-
tuale nullis
eget vestibus.*

Ante omnia autem hoc loco tenendum est, Christum post resurrectionem nullis vestibus eguisse. Ni inrum vestibus homo cum ad corpus ab iniuriis tempestatis, frigore, calore, vento, pluia, tuendum, sique seruandum, tum ad pudorem obvelandum, ne praurarum libidinum semen spargat nuditas, porro ad sexus atque ordinis diuersitatem indicandam, denique ad ornandum corpus, vtitur. At nulla istarum rationum in eis, qui corpore gaudent spirituali, quale Paulus describit 1. Cor. XV, 42. seqq. locum inuenit. Non enim egent vestibus, vt ab iniuriis tempestatis corpus seruent, quia corpus spirituale per se incorruptibile et immortale 1. Cor. XV. 42, nec istis tempestatis incommidis amplius obnoxium est Apoc. VII. 16; neque pudoris velandi causa, quia quorum corpus spirituale est, illi non amplius generant Luc. XX. 35. 36, ob eamque causam neque licitus, neque illicitus appetitus coeundi amplius iis, inesse potest; neque ad sexus, aue ordinis diuersitatem indicandam, quia, quod ad prius, licet in illis diuersitas sexus non tollatur (Theol. Rev. T. III. §. 1452.), nulla tamen

tamen eius amplius, generatione sobolis cessante, ratio habetur, et quod ad posterius attinet, ipsis hominum ordinibus ob mutatam eorum conditionem cessantibus, vestium diuersitate eos significari, non opus est; neque denique ad ornatum, quia fulgentibus et perfectis corporibus vestes dedecori potius essent, quam ornatui. Itaque corpus spirituale nullis amplius indiget vestimentis. Ex quo factum est etiam, ut *Elias*, curru equisque igneis in cælum adscendent, pallium in terram exciderit 2. Reg. II. 13. Nam cum in ipso transitu e terra in sedem beatorum corpus eius terrestre in spirituale transmutaretur, siquidem *corruptio non consequitur hereditatem incorruptibilitatis* I. Cor. XV. 50. 51, nullis amplius vestimentis opus habebat.

V.

Itaque certum et exploratum est, nullis vestimentis eum egerè amplius, qui corpore spirituali donatus est (§. 4.). *Quare nec Christus rediuit illis egit.* *Emperio* vero cum Iesus Seruator e morte in vitam reuocaretur, corpus naturale, quod in terris et cruce gesserat, in spirituale commutabatur (Th. Reu. T. II. §. 660.), quod in cælum secum sumpturus erat, et in sede beatorum nunc gerit I. Cor. XV. 49. Itaque Iesum rediuiuum nullis amplius vestimentis egisse, in aperto est. Id quod perinde se habet ac de cibo et potu, quo pariter ipsis post reditum in vitam ob corpus gestum spirituale opus amplius non fuit.

VI.

Iesus resuscitatus adseclis suis repetitis vicibus, vt de resurrectione veritate conuidissimi redderentur, comparebat; quarum adparitio-
num licet aliquas tantum sacræ litteræ commemorent, longe plures paruit linteis
tamen factas esse, veritati est contentaneum (Theol. Reu. T. II. §. 684. Sch. 2.). Sed quæras nunc: *an*, quia Christus rediuius vesti-
bus amplius non egebat, *nudus adseclis suis adparuerit?* Si pectorum phantasia ἀξιωματος testimonium præberet, nudum adseclis suis adparuisse Christum, dicendum est. Pingunt enim rediuium Iesum
toto corpore nudum, licet ita, vt corpus eius ex parte tegat linteum
informe, imago linteī feralis, cui mortuus inuolutus fuerat; pariter
ac si linteū illud ex sepulcro secum tulerit. At quanquam
pictoribus atque poetis
quidlibet audendi semper fuit æqua potestas,

vti dixit HORATIVS de art. poet. v. 9. 10, fidio tamen piatorum a veritate nos dimouere non debet. Lintea Christi feralia pariter ac vitta post resurrectionem eius in sepulcro vacuo deprehendebantur Ioh. XX. 5. 6. 7. Luc. XXIV. 12. Non igitur Iesus resurgens lintea feralia secum ex sepulcro tulit; ex quo sit porro, vt haudquaquam linteis feralibus ex parte testus spectatoribus suis rediuius adparuerit.

VII.

*neque tamen
toto corpore
nudus.*

An igitur, inquis, *toto corpore nudus Christus ab iis visus est*, quos adparitione sua dignabatur? Non equidem arbitror. Post resurrectionem Christus corpus quidem spirituale gerebat (Theol. Reu. T. II. §. 660); attamen in forma corporis naturalis pristina conspiciendum se præbuit; quod nisi sic se habuisset, nec apostoli ex forma faciei et habitu corporis eum denuo agnouissent, nec ipse vulnera manuum, pedum laterisque conspicienda et tangenda præbere potuisset, quod tamen factum est Ioh. XX. 20. 27. Luc. XXIX. 39. 40. Enim vero in forma corporis naturali hominem adultum versari inter homines terricolas *toto corpore nudum*, præcipue in conspectu sexus alterius, contra honestatem et decorum est. Nam ipsa natura duce et magistra, tenenda est hæc verecundia, ut partes corporis verendas, nisi necessitas denudationem exigat, obtegamus; quemadmodum bene scripsit CICERO off. I. I. c. 35: *que natura occultauit, eadem omnes, qui sana mente sunt, remouent ab oculis*; et iterum: *nos naturam sequamur, et ab omni, quod abhorret ab ipsa oculorum auriumque comprobatione, fugiamus.* Neque obest, quod cælestes beati in sede cælesti, mares feminæque, versentur nudi. Nam dispar eorum ac terricolarum est conditio, dum in illis, utpote non amplius concubentibus Luc. XX. 35. 36, conspectus nuditatis non æque, ac in his, libidinis incitamentum excitat. Itaque si Iesus rediuius maribus feminisque *toto corpore nudum* conspiciendum præbuisset, prouti non discipulos tantum adseclasque alios, sed Mariam Magdalenam etiam aliasque pias mulieres eum conspexisse legimus Ioh. XX. 14. Marc. XVI. 9, Matth. XXIIIX. 9. 10, contra honestatem atque decorum illud pugnasset. Sanctissimo vero tale quid tribuere, cui non religioni sit? Itaque Iesus rediuius nudus ab hominibus, quibus se conspiciendum præbuit, iconspactus non est.

IX.

IX.

Sed dicas forsan : si in cruce Christus ab vniuersa turba conspectus fuerat toto corpore nudus (tam inhumaniter enim carnifices Romani cum cruciariis agere solebant, vt quidquid illi gererent vestium, id sibi in laboris præmium vindicarent) : quidni etiam rediuius toto corpore nudum se conspicendum præbuisset ad seclis suis ? Noli autem, quæso, tempora admodum diuersa confundere. In cruce quia Christus per carnificum violentiam vestibus priuatus fuerat, vestitum illum conspici vel nudum , ex arbitrio ipsius non pendebat ; volebatque Christus illam denudationis contumeliam perferrre ad peccata hominum, nuditate etiam commissa, expianda. At vero aliter se res habebat post resurrectionem Christi. Quemadmodum enim tunc nulla amplius nuditas expiatoria sufferenda erat : ita ex arbitrio Christi, nudusne consiperetur , an vestitus , pendebat. Quare honestatis causa non voluisse eum conspici in terra nudum , existimandum est.

IX.

Idem colligere datur ex variis adparitionibus ; quas sacri scriptores memorant. Primo loco Christus adparebat Mariæ Magdalena , *Vestitum Christum re-*
quæ Christum hortulanum , eum sine dubio , cuius operæ et fidei diuinum fuis-
hortus creditus fuerat , in quo Christum sepelierant , putabat Ioh. XX. se , docent ad-
14. 15. XIX. 41. 42. Quomodo vero Maria Magdalena Christum paritionum
pro hortulano habere potuisset , si illum toto corpore conspexisset nu-
dum ? Putasne , hortulanum toto corpore nudum ambulasse in horto , exempla.
in quem cuilibet liber accessus erat ? Itaque vestitu hortulani potius
indutum Christum Mariæ Magdalena visum esse , credendum est.
Pariter cum duo discipuli , Emauntiem proficiscentes , Iesum conspi-
cerent , et colloquium in via cum ipso haberent , viatorē illum et
peregrinum esse , arbitrabantur Luc. XXIV. 15. 16. 18. 28. 29. Sed
nullus viator , toto corpore nudus , in via regia ambulat . Quare in
hac adparitione Christum gessisse habitum viatoris , necesse est . Cui
non obstat , cum Lightfootus , Christum in scholaris forma adparuisse
discipulis Emaunticis , quippe quos eruditat in via , et pro quibus gra-
tias agat ad mensam , perhibet in Horis Hebr. ad d. I. Nam scholaris
etiam potest peregrinator esse ; ne dicam , Christum sic quoque nu-
dum

dum conspectum non fuisse. Addo adparitionem tertiam. Cum Iesus rediuius decem discipulis conspiciendum se præberet ipso resurrectio-
nis die, *terrii, spiritum se videre, arbitrabantur* Luc. XXIV. 37. Sed non facile, credo, ad hanc opinionem delapsi essent, nisi talis Christi adparentis habitus fuisset, quali angeli spiritusue alio tempore se conspiciendos præbuerant. At vero recentissime et ipso huius adparitionis die duo angeli ad sepulcrum Christi conspiciendos se adseclis Christi præbuerant *vestibus candidis et fulgentibus* Matth. XXVIII. 3. Marc. XVI. 5. Luc. XXIV. 4. Ioh. XX. 12. Quare tali etiam candida fulgentique veste Christum comparuisse decem discipulis, verisimile est. Id quod pariter statuendum est de adparitione sequente Ioh. XX. 26. Porro cum Iesus ad mare Genezaret se septem discipulis ostenderet Ioh. XXI. 1. seqq. quis crediderit, eum in littore atque in conspectu omnium stetisse toto corpore nudum? Gessit igitur potius habitum, peregrino homini conuenientem; vnde factum etiam, ut a principio discipuli eum non agnoscerent. Denique ut nouissimæ adparitionis mentionem faciam, in cælum Christus adscensurus undeicim discipulos ex vrbe ducebat secum Bethaniam in montem oliuetai Luc. XXIV. 50. A&t. I. 12. Sed nudum Christum ducem discipulorum per plateas vr-
bis in tanto hominum confluxu, quantum vrbis frequentia et celebri-
tas ferebat, fuisse, ab omni specie veritatis abhorret. Vestitum igitur Christus rediuius adparuisse adseclis suis, adparitionum exempla docent luculentissime.

X.

Christus rediuius diverso habitu conspectus fuit. Interea quia Christus rediuius modo sub hortulani, modo sub viatoris, modo sub angeli, modo sub alia figura se conspiciendum præ-
buit (§. 9.), vestes, quibus induitus adparuit, non semper eiusdem formæ, sed personæ, quam agebat diuersis temporibus, respondentes fuisse, colligendum est. Hinc iv̄ ἐρέπει μαρθῆ, quam fuerat prima, Christus discipulis duobus in agro adparuisse dicitur Marc. XVI. 12.

XI.

Iesus rediuius non gessit induitum se hominum conspectui obiecit? Vnde igitur Iesus rediuius accepit, aut sumpsit vestes, quibus ante omnia hoc loco nota-
dum

dum est, non eum gessisse illas vestes, quibus ante passionem et mortem, ut suis, usus fuerat. Pro more enim Romanorum, haec in laboris priores, cruenti præmium cesserant militibus, carnificibus Christi Ioh. XIX. 23. 24, qui proinde domini illarum facti erant. Quare licet ex iniusta causa in vitam restitutus Iesus repetere illas iure suo potuisset, repetuisse tamen, nullo modo credibile est; idque eo minus, quia is ne quidem aspectu suo hostes dignatus est Act. X. 40. 41. Cui accedit, quod, si priores vestes suas Iesus rediuius gessisset, semper eadem vestimentorum eius fuisset figura; quam vero variam diuersamque fuisse, demonstratum est (J. 10. 4).

XII.

Sed repetitis questionem: *Vnde Iesus rediuius vestimenta accepit neque vesse perit?* Si vestimenta Iesu rediuii fuerunt naturalia, qualia nos quidem naturales gerimus, aut illa mercatus est, aut ut commodatum, aut dono accepta quales nos. pit; præter quæ membra nullum aliud cum veritatis specie dicetur, quia neque vestimenta inueniuntur facile, multoque minus furtum cogitare fas est. Quodsi vero Christus rediuius vestimenta, quibus adparuit, aut mercatus est, aut ut commodatum, aut dono accepit, vel solo die resurrectionis suæ modo vestimenta hortulani, modo scholari viatoris, modo angeli aut emere, aut ut commodatum, aut dono accipere debuit; qualia vero negotia terrestria longe maioribus intento exaltati Christi animo indigna fuerunt; ne dicam, vestes angelicas nullibi venales esse, nec a quoquam mortalium aut commodari, aut dari posse. Sed hoc quoque perpendatur, quæso. Cum Iesus Nazarenus rediuius conspiciendum se præberet Mariæ Magdalena, prima haec erat, bene mane facta, adparito Marc. XVI. 9. Ioh. XX. 14. Comparebat autem Mariæ Magdalena sub forma hortulani. Quodsi igitur hortulani vestes aut emisset, aut ut commodatum, aut dono accepisset a quoquam, hic Christum Mariæ Magdalena vidisset prior, ob eamque causam prima omnium non fuisset adparito, quæ Mariæ Magdalena contingebat. Neque quidquam ad rem facit, si Christum in ipso exitu a sepulcro a custodibus visum esse ante adparitionem, quæ Mariæ Magdalena contigit, dicas. Nam ab his Iesum vestes accepisse aut pretio, aut dono, aut ut commodatum, nemo nisi sensibus orbus, dicet.

dicet. Quoniam igitur Iesus rediuius nec pretio, nec dono, nec vt
commodatum accepit uestes, quibus se conspicendum præbuit, uestes
illas naturales non fuisse, sequitur. Itaque nec male scriptit IOH. MARCK
in Hist. exaltat. Iesu l. 1. c. 9. §. 18: *Nobis nimis profecto ludicrum*
et ineptum videtur, quod NIC. GVRTLERVS scribit, ante suam
apparitionem primam Dominum iuisse forte Bethaniam ad Lazarum
aliumue amicum ad petenda sibi indumenta, quibus contectus appareret.
Quod et ipse monitus in Addendis vanissime excusauit, conjecturas
has dicens innocuas, profectas a studio inquirendi in abdita vel igno-
ta queuis, pertinentia ad Christum rediuium.

XIII.

sed formauit sibi uestes per Accipe, lector, sententiam meam et pondera. Quemadmodum Christus olim in ipso humilitatis statu per materiæ transmutationem ex aqua vinum Ioh. II. 9. et panem piscesque multiplicans Ioh. VI. 11.

*13, ex aere, aut quacunque sub manibus existente materia panem piscesque fecerat; ac veluti is etiam post resurrectionem prunas positas ad littus maris et pisces impositum et panem adpositum fecerat Ioh. XXI. 9. ex aere vel quacunque materia alia *); siquidem ex nihilo panes illos et pisces et prunas factos esse, cur, materia præexistente, dicamus, ratio nulla est: sic ipsum rediuium eodem modo sibi uestes facere potuisse, dubitatione caret. Sed non potuit tantum, sed etiam fecit. Nam quia Iesus rediuius uestitus adparuit (§. 7. seqq.), nec tamen gesit uestes suas priores (§. 11.), nec aliunde accepit naturales (§. 12.), nil superest, nisi vt dicamus, eum vi omnipotentia et per miraculum uestes sibi creasse. Creavit eas sibi autem vel ex nihilo, vel ex materia præexistente inhabili, e. g. aere, vel ex habili,*

*) De loco hoc postremo scribit MARCKIVS in Histor. exalt. Christi l. 1. c. 13. §. 4: *Sive ille apparatus (prunæ positæ et pisces impositus et panis) aliunde fuerit adductus mirabiliter, sive ex materia alia inhabili potius, quam ex nihilo productus. Sed prius illud membrum locum non habere, arbitror. Nam aliunde adducta aliis erepta fuissent; quod minus consentaneum veritati est.*

habili, ab aliis sibi suppeditata. Sed non ex materia habili, ab aliis sibi suppeditata, quia hoc perinde esset, ac si ipsas vestes naturales accepisset ab aliis; quod remouimus (§. 12.); neque ex nihilo, quia, materia ubique præexistente, ex nihilo creare corpus, est sine ratione agere; quod in Christum sapientissimum non cadit. Itaque ex materia præexistente inhabili, v. g. aëre, Christus rediuius sibi vestes creauit, vel quod idem valet, aërem vel quacunque materiam aliam in formam vestium, quibus conspici voluit, redegit. At vero productio entis ex materia inhabili dicitur creatio secunda (El. Theol. nat. §. 917.). Fit igitur, ut Iesus rediuius sibi vestes formauerit per creationem secundam. *)

XIV.

Simile ex parte exemplum habemus in angelis. Angeli enim, resurrectionis Christi nuntii, Matth. XXVII. 3. Marc. XVI. 5. Luc. XXIV. 4. Ioh. XX. 12. pariter ac illi, qui post adscensionem Christi discipulis eius in monte oliueti adstabant, candidis splendentibusque vestibus cernebantur Act. I. 10, etiamsi angelis proprie vestes non sint. Hic igitur vti vi facultatis in corpus, nec tantum in exteriora eius, sed etiam in interiora particulasque eius subtile, quas ipsi penetrant, diuidant, componant, mutent, agend, ex aere, vel quacunque alia materia vestes, certe figuram externam vestium, ut corpus, DEO iubente vel permittente, sibi formare potuerunt et formarunt; nisi forte, eos propria sua corpora subtilia in formam figuramque corporis humani æque ac vestium ad tempus redigisse, dicas (Th. Rev. T. I. §. 1154.): quid dubitas, Iesum rediuium, Deum omnipotentem, in carne manifestatum, eodem modo sibi vestes, certe vestium figuram externam, parare potuisse, prout ipse libuerit? Enim vero ad exemplum angelorum allegatum forsan quisquam excipiatur, non potuisse angelos ex aere, aut

B 3

alia

*) VOSSIVS in Harmon. Euangel. I. 3. c. 4. §. 3. p. 387. quærens unde Iesus rediuius habuerit vestes? respondet: nempe illas vel crearat ipse, vel aliunde sumferat: ut respondet Iustinus Martyr, sine sub Iustini nomine incertus quispiam, responsione ad Orthodoxos CXVI. Vides igitur nunc, Lector, quoniam huius disiunctiuæ membrum, et quomodo capiendum sit.

alia materia inhabili sibi veste^s, certe formam vestium externam, formare, quia hæc sit creatio secunda (El. Th. N. §. 917), quæ vires angelorum excedat. Quam vt remoueam dubitationem, ante omnia moneo, ad creationem secundam pertinere non tantum, vt res ex materia inhabili, sed etiam vt, mediante hac, ex nihilo producatur (El. Th. N. §. 917). At vero quanquam forsitan angelus ex aere, vt materia inhabili, formam vestium externam, non tamen is materiam ipsam inhabilem, vt pote præexistentem et olim a Deo creatam, ex nihilo produxit; ex aduerso Christus λόγος non solum ex materia inhabili sibi veste^s formauit rediuius, sed etiam olim materiam inhabilem vestimentorum corporis sui rediui ex nihilo produxerat. Itaque angelo, licet ex materia inhabili sibi figuram vestis externam formanti, non tamen competere creationem secundam, sed Christo illam recte tribui, manifestum est. Sed hoc quoque notandum est, quæcumque materia est inhabilis, habitatione virium humanarum, eam non necessario esse inhabilem respectu virium angelorum, dum *hi robore et potentia* hominibus maiores sunt 2. Petr. II. 11. Itaque nec penes angelum creatio secunda dici potest, si ex materia, quæ respectu virium humanarum tantum inhabilis est, corpus vel figuram corporis producat; *e contrario* si Deus in materiam, ex nihilo a se productam, introducat formam entis debiti, ad quam in istam introducendam vires causarum secundarum non sufficiunt, hæc est vera creatio secunda (El. Theol. nat. §. 916. 917). Addam unicum. Deus ex materia inhabili non tantum figuram corporis externam, sed ipsum etiam corpus, quoad internam strukturam suam artificiosam simul spectatum, creare potest; id quod creatio plantarum et arborum, animantium brutorum et ipsius hominis abunde docet Gen. I. 11. 20. 24. II. 7. Licet vero angelum ex materia quæcumque formare posse figuram corporis (e. g. humani) externam, quæ ipsa quoque sit corpus, in sensu incurrens, non dubitem, ad apparitionibus angelicis a posteriori illud docentibus: de interna tamen corporis strutura non æque id exploratum habeo; quæ causa est, cur paulo ante dixerim: *angelum formare posse veste^s, certe figuram vestium externam;* etiamsi nec hanc formare queat, nisi Deus aut velit, aut permittat. Quantum igitur inter vim Dei atque angeli interficit, facile ex his aliisque est intellectu,

XV.

XV.

Neque sententia; quam proposui (§. 13.), obstat, quod diuersis Vnde diuersis habitibus Christus rediuius se conspiciendum præbuerit (§. 10.). figuræ vestiæ conspiciendum sese præbiturus, procul dubio aut figuram vestium priorum resolut in materiam pristinam, et ex aere vel quacunque alia materia aliarum vestium figuram simili modo formauit, nouæ adparitioni conuenientium; aut, retenta figuræ vestium priorum materia, eandem denuo in aliam, quam voluit, figuram redegit; quorum tamen posterius, vt via breuior, præferendum priori videtur. Atque sic facile intelliges, qui fieri potuerit, vt Iesus rediuius modo sub hortulani, modo sub viatoris, modo sub angeli, modo tub alia figura conspiciendum adseclis suis se præberet. Si dicas vero, istam vestimentorum variae figuræ formationem a Christo factam esse miraculis repetitis, sed per miraculum Deum non agere, quod modo naturali æque bene fieri potest (El. Theol. nat. §. 537.): hoc ipsum obiectum suppeditare responsionem, regero. Nam indecorum fuisset Christo rediuiuo et exaltato, nuditatis tegenda causa ab aliis hominibus uestes petere; quare, cum ille modo viaque naturali uestes habere varias æque bene non potuerit, locus omnino erat miraculo repetito.

XVI.

Nolim autem interrogari: *qua Christus uestium figura in qualibet adparitione vñus sit?* Non enim omnes atque singulæ a scriptoribus sacris sic enarratae fuerunt, vt figuræ vestimentorum indicium certum fuisse in qualibet. Primo loco Christum Mariæ Magdalena se conspiciendum præbuit adparitione sub hortulani habitu, supra notatum est (§. 9.). Ac quia proxima adparitione, qua mulieres gaudebant pia, etiam siebat non longe a sepulcro Matth. XXIX. 8. 9, eundem habitum Christum in illa retinuisse, probabile est. Id quod dicerem etiam de adparitione, Petro seorsim data, si illa statuenda atque huc referenda est; de quo alio tempore, si Deus voluerit, disputabo. Similiter notaui supra (§. 9.), viatoribus Emaunticis sub viatoris scholaris, vndecim discipulis autem eodem die sub spiritu aut angeli figura Christum adparuisse; quod postea

posteriorius etiam de adparitione, Thomæ causa data præcipue Ioh. XX. 29, sentiendum videtur. Ad mare Genezaret Iesum rediuiuum a septem discipulis visum fuisse sub forma hominis peregrini, ex eo constat, quod discipuli eum non prius agnoscerent, quam Iohannes e miraculo edito, Iesum præsentem esse, colligeret Ioh. XXI. 6. 7. In maxime solemni autem adparitione, quæ in monte quodam Galilææ contingebat Matth. XXIX. 16, quam Christus promiserat ante passionem Matth. XXVI. 32, et post resurrectionem Matth. XXIX. 7. 10. Marc. XVI. 7, et in qua ille a quingentis fratribus, quin imo pluribus cernebatur simul I. Cor. XV. 6, in gloria Christum et hinc vestitu candido fulgentique se conspiciendum præbuisse, ex eo est verisimile, quod undecim discipuli, simulac illum conspiciebant, religiosa adoratione illum prosecuti sunt Matth. XXIX. 17. Quo porro habitu Christus adparuerit Iacobō I. Cor. XV. 7, tacente Scriptura, nemo dixerit. Denique vestitum Christi, discipulos ad ascensionem suam Hierosolyma educentis Luc. XXIV. 50, extraordinarii nil habuisse, an exinde colligatur recte, quod extraordinaria oculos hominum ad se rapiant, Christus vero rediuius non omni populo ēμφαν̄s fieri voluerit A& X. 40. 41, iudicandum Lectori relinquō.

XVII.

Vbi manserint vestimenta Christi rediuiui, et in cælum adscendentis, tandem factum sit? Scilicet ta Christi portem discipuli eum viuum in cælum eleuari viderent Luc. XXIV. 51. sferem? A&. I. 9, vestibus corpus eius tectum erat (§. 9.). Quia autem in beatorum sede, quam petobat, nullis ei vestibus, neque sui, neque aliorum causa, opus erat (§. 4.), nube a conspectu discipulorum tectus A&. I. 9, et supra atmospharam nostram eleuatus, vestimenta, quibus induitus conspectus fuerat, in materiam priorem resoluit, sicque gloriose corpore nudus in beatorum sedem contendit. Neque sic mirum videri debet, quod Eliæ, in cælum eandemque beatorum sedem proficisci, pallium exciderit 2. Reg. II. 13, Christo non item. Pallium enim Eliæ erat naturale, ex pellibus belluarum confectum 2. Reg. I. 8. coll. 1. Reg. XIX. 13. 19, adeoque pertinebat ad terram. Vester Christi rediuius autem, et in cælum adscendentis, cum naturales non essent,

a Chri-

a Christo adscendente in aura modo inuisibili in aerem, vel aliam quamcunque materiam tenuem resolutae fuerunt, ex qua illas ad tempus composuerat.

XVIII.

Nobis igitur cum Christi adscendentis vestes non æque, ac Eliae *Morale*. olim pallium Eliæ in cælum eleuati, supersint, cumque, si superessent, tantum tamen abesset, ut utilitatem vllam menti salutis cupide crearent, ut verendum esset quam maxime, ne superstitionis ansam inde mentes hominum peruersæ arriperent: hoc agamus potius, ut pallii iustitiae atque vestimentorum salutis, quæ tota satisfactione sua nobis Christus paravit Ies. LXI. 10, compotes reddamur. His enim per fidem veram viuamque ornati si coram Deo compareamus, probrofa nuditas peccatorum nostrorum non cernetur, albisque potius induemur vestibus, cum Iesus nomina nostra coram patre suo et angelis eius confessurus est Apoc. III. 18. 5.

XIX.

Propositis iam, quæ in suauem resurrectionis Christi recordationem *Candidati* proponere decreueram, ad id, quod caput est rei, et præsenti scriptioni *academiae* occasionem dedit, progredior. Quemadmodum gallina pullos, qui satis adoleuisse ipsi videntur, missos facit, ut ipsi sibi prospiciant, et se defendant: ita illi Gymnasium Wilhelmo-Ernestinum discipulorum decadem,

I. IOH. GVNTHER FRANCKENBERG
Vinariensem,

II. GOTTLIEB EHRENFRIED BENIAM. LAIRITZ
Neo - Marchico - Thuringum,

III. CHRISTIANVM THEOPHILVM KNOBLOCH
Wickerstadiensem,

IV.

IV. IOH. ERNESTVM LVDECVM

Vinariensem,

V. IOH. HENRICVM DANZ

Pfisselbaco - Vinariensem,

VI. ANTON. IVSTVM FRIDER. SCHMIDT

Vinariensem,

VII. GVILIELMVVM FRIDER. WEISE,

Fluhrstadio - Vinariensem,

VIII. IOH. CHRISTIANVM MAEMPEL

Ilmenauensem,

IX. GOTTLIEB DAVID TRAVTERMANN

Heisdorffio - Vinariensem,

X. IOH. ERNESTVM RECK

Apoldanum,

postquam illi liberalibus disciplinis, quoad fieri potuit, bene innutriti, et ad superiora studiorum genera præparati fuerunt, e sinu suo ad academias proxime dimittet. Enim vero priusquam illi Musas nostras valere iubent, profectum suorum specimina nouissima*) edere, studiis-

*) Dico *nouissima*, quia multi eorum iam olim vires suas, declamando coram panegyri, periclitati sunt. Id quod de quarto et quinto ex Comment. nostræ de *adpllicatione methodi scientif.* ad *Theol. Reuel. Spec.* III, de septimo ex eiusdem *Comment. Spec.* IV, de decimo ex illius *Specim.* VI, de tertio ac sexto ex *Specim. II. dubiorum de conuersione hominis discussorum est* in promptu.

studiisque scholasticis, publice declamando, manum ultimam imponere,
sicque, quid patriæ olim ab ingenio et solertia eorum exspectandum
sit, significare, gestiunt. Quare cum oratores nostros scholasticos
aliquoties iam ad illustrandas leges Lycurgi, legislatoris Spartanorum
antiquissimi ac celeberrimi, duxi, in praesentia quoque alias matrimo-
niales, alias funebres, quas Nic. Cragius de Republ. Lacedæmoni-
orum l. 3. tab. 1. et 4. ex monumentis veterum magno cum studio col- et argumenta-
lectas dedit, illustrari declamando, non alienum visum est. Quo sic declamatio-
ne habente,

PRIMVS quidem generatim de gloria honorum legislatorum
disputabit; deinceps vero

SECVNDVS exponet legem: *Vxores ducantur raptu;*

TERTIVS hanc: *Matrimonia contrahantur tempore legitimo;*

QUARTVS hanc: *Virgines sine dote dentur nuptum;*

QVINTVS hanc: *Qui tres genuerit liberos a custodia munere
liber sit, qui quatuor, ab omnibus oneribus;*

SEXTTVS hanc: *Vnam tantum vxorem Spartanus ducat;*

SEPTIMVS hanc: *In vrbe mortuos sepelire iuxta templa, fas sit;*

OCTAVVS hanc: *Cum mortuo nil inkumetur;*

NONVS hanc: *Eiulatus non audiatur publice, et luctus undecim
diebus finiatur;*

DECIMVS denique hanc: *Monumenta inscripta, nisi qui in bello
occubuerint, aut honesta feminæ, non habeant; ita quidem, vt octauus
carmine Teutonico, primus fermone Gallico, secundus Germanico, sextus
Italico, decimus Græco, reliqui Latino vtantur, vtque simul septimus
pro percepto mensæ gratuitæ principalis beneficio suo et tertii quinti-
que nomine gratias agat humillimas, postremus vero nomine omnium
Mæcenates, Præceptores, condiscipulos valete iubeat,*

XIX.

XX.

*In uitatio.**Cum voto.*

Itaque meum nunc est, ILLVSTRES SVM MORVM COLLEGIORVM PRAESIDES ET OPTIMATES reliquos, EPHORVM VICARIVM SVM ME REVERENDVM, omnesque alios CONSULTISSIMOS, EXPERIENTISSIMOS, MAXIME et PLVRIMVM REVERENDOS, NOBILISSIMOS, AMPLISSLIMOS, DOCTISSIMOS VIROS, Musarum Patronos atque Fautores, rogare, vt, missis paulisper negotiis grauioribus, solemnitati huic scholastica interesse, et operam audiendi oratoribus nostris cras post horam VIII. matutinam dare, dignentur; quod vt faciant, rogo et obsecro obseruantissime, amicissime. Vos autem, Candidati Academiae Optimi, nouissima voce compello hortorque, vt finem studiorum scholasticorum initium auspiciatum academicorum, eorumque grauiorum, facientes, faciat, quantum poteritis, vt thesaurus eruditioonis colligendus aliquando Parentibus, Cognatisque Vestris gaudio, patriæ utilitati, Vobis ipsis autem saluti sit; id quod fiet, duce pietate, comite virtute. Faxit Deus feliciter!

P. P. VINARIAE DIE VIII. APRIL. MDCCLV.





DE VESTITV CHRISTI REDIVIVI MEDITATIO.

XX.

meum nunc est, ILLVSTRES SVM MORVM COLLE-
RAESIDES ET OPTIMATES reliquos, EPHORVM
SVM ME REVERENDVM, omnesque alias CON-
EXPERIENTISSIMOS, MAXIME et PLV-
ENDOS, NOBILISSIMOS, AMPLISSIMOS,
TIROS, Musarum Patronos atque Fautores, ro-
lisper negotiis grauioribus, solemnitati huic
schola sti. operam audiendi oratoribus nostris cras post
horam VI. 20 18 17 16 15
obsecro ob- 344 20 18 17 16 15
minæ Optimi, 15
rum scholastice
grauiorum, facie
ditionis colligendus
dio, patriæ utilita
duce pietate,

Faxit Deus feliciter !

P. P. VINARIAE

APRIL. MDCCLV.



Inuitati

cum voto.

Image Engineering San Reference Chart on UFT
Patch Reference Chart Serial No. 2 R. Tesa

DO

R. Tesa

Serial No.

344

A2

B5

45

20

18

17

16

15

14

13

12

11

10

09

08

07

06

05

04

03

02

01

C7

B7

A7

C8

B8

A8

C9

B9

A9

C10

B10

A10

C11

B11

A11

C12

B12

A12

C13

B13

A13

C14

B14

A14

C15

B15

A15

C16

B16

A16

C17

B17

A17

C18

B18

A18

C19

B19

A19

C20

B20

A20

C21

B21

A21

C22

B22

A22

C23

B23

A23

C24

B24

A24

C25

B25

A25

C26

B26

A26

C27

B27

A27

C28

B28

A28

C29

B29

A29

C30

B30

A30

C31

B31

A31

C32

B32

A32

C33

B33

A33

C34

B34

A34

C35

B35

A35

C36

B36

A36

C37

B37

A37

C38

B38

A38

C39

B39

A39

C40

B40

A40

C41

B41

A41

C42

B42

A42

C43

B43

A43

C44

B44

A44

C45

B45

A45

C46

B46

A46

C47

B47

A47

C48

B48

A48

C49

B49

A49

C50

B50

A50

C51

B51

A51

C52

B52

A52

C53

B53

A53

C54

B54

A54

C55

B55

A55

C56

B56

A56

C57

B57

A57

C58

B58

A58

C59

B59

A59

C60

B60

A60

C61

B61

A61

C62

B62

A62

C63

B63

A63

C64

B64

A64

C65

B65

A65

C66

B66

A66

C67

B67

A67

C68

B68

A68

C69

B69

A69

C70

B70

A70

C71

B71

A71

C72

B72

A72

C73

B73

A73

C74

B74

A74

C75

B75

A75

C76

B76

A76

C77

B77

A77

C78

B78

A78

C79

B79

A79

C80

B80

A80

C81

B81

A81

C82

B82

A82

C83

B83

A83

C84

B84

A84

C85

B85

A85

C86

B86

A86

C87

B87

A87

C88

B88

A88

C89

B89

A89

C90

B90

A90

C91

B91

A91

C92

B92

A92

C93

B93

A93

C94

B94

A94

C95

B95

A95

C96

B96

A96

C97

B97

A97

C98

B98

A98

C99

B99

A99</